



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Articulus I. Pro resolutione quæstionis nonnulla prænotantur, & exponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

ARTICULUS I.

Pro resolutione questionis nonnulla prae-notantur, & exponuntur.

§. I.

Unde, ut à fundamento, & à prima radice, oriatur obligatio universalis fugiendi actionem moraliter malam? Ubi quid malitia formalis?

2. **Q**uoniam nostrum hoc Opus (quod nō semel jam admo- nuimus) utpotē versans argumentum commune, & ad Christianos omnes spectans, omnibus, si fieri possit, praesertim animarum rectoribus, cuperemus esse commune, & quod majori saltim ex parte, percipi ab illis, & intelligi posset; ubique, sed praesertim in rebus majoris momenti, operam, quantam possumus, damus, ut subtilitatem, rigoremque scholasticum, quem suo jure materia postulat, sic modere- mur, atque temperemus, ut nec doctrinae soliditatem, exactamque proprietatem verborum, nec intentam styli facilitatem, perspicuitatemque corrumpamus. Idcirco in magnae hujus difficultatis resolutione, quam exponendam modō suscipimus, quaeque totius ferē nostri Tractatus disputationem, quantum assequi possumus, operosissimam, subtilissimam, profundissimamque deposcit, praedictam diligentiam, & curam specialiter necessariam, speciali quoque attentione, quantum sit fas, adhibere conabimur.

3. Principio ergo statuendum est, teneri nos ubique, ac in omni eventu, vitare actionem moraliter malam. Quod adeo certum, & evidens est, ut sit principium moralis Philosophiae primum, & omnium generalissimum, quod nemo unquam finitur ignorare, etiam si verbis illis clarissimis, *Declina à malo, & fac bonum*, expressum non esset à Deo; nihil etenim prius naturalis

findere sis cuique dictat, quàm bonum esse amandum, malum verò fugiendum. Immo nihil omnino malum foret, nisi vitari semper deberet, cum ideò malum aliquid sit, quia fieri à nobis non debuit.

Unde autem oriatur, ut à prima radice, ac fundamento, tanta haec in hominibus, & tam universalis obligatio, etsi diversis vocibus exponatur à Theologis, res tamen ipsa eadem semper est, nec ulla potest esse dissensio, nisi de modo tantum loquendi, ut liquidum post pauca faciemus.

4. Ut ergo vocibus amandatis, rem ipsam exponamus, supponimus, actionem dici moraliter malam per respectum ad regulam moralis honestatis, à qua talis actio recedit, & cui proinde opponitur, ac contrariatur, cum operans deberet eidem conformari in operando, per actionem oppositam honestam positivè, vel saltem negativè. Utrique regula recti, & obliqui (quod in moralibus est bonum, & malum) una, & eadem est, ut saepe Philosophus docet, diverso modo considerata. Nempe actio recta, sive bona moraliter, respicit regulam per accessum, & conformitatem ad ipsam: actio autem obliqua, seu moraliter mala, eandem respicit per recessum, & oppositionem cum illa. Ut enim actio recta, & honesta, ideò talis evadit, quia conformatur cum regula honestatis, ita similiter actio mala à contrario, propterea talis est, quia regulae non congruit, sed eidem potius opponitur.

5. Eadem igitur honestatis regula utranque actionem regulat, ac mensurat, diverso tamen, & opposito modo, bonam scilicet approbando, & ostendendo ipsius rectitudinem; malam autem è contra

re-

reprobando, ejusque irrestitutionem ostendendo. Sic una, & eadem Dialecticæ regula ostendit syllogismi rectitudinem, & sophismatis pravitatem; una, & eadem regula syntaxeos solacissimi defectum, & congruæ locutionis rectitudinem, & sic de cunctis aliis cujuscunque generis regulis.

6. Ex hoc principio apud omnes certo facile sit videre, unde, ut à fundamento, & à prima radice, oriatur in hominibus obligatio vitandi actionem moraliter malam: ex ipsa nempe honestatis regula, quam homo quærere semper tenetur, & operari conformiter ad illam, vel saltem nunquam ab illa recedere per actionem eidem positivè contrariam. Quod addimus, ut modò non implicemur vulgaribus dissidiis hic importunis, de pura omissione morali, & de actione individua indifferenti, & neque bona, neque mala moraliter, quas contra communiorum sensum Doctorum falsò, ut nos judicamus, Theologi non paucituentur. Idèò quoties in simili de necessaria actionis honestate sermonem nobis esse contigerit, sub nomine honestatis comprehendimus etiam negativam, si fortè aliqua possibilibus est; vel ab hoc potius semper præscindimus.

7. Illatio verò nostra se ipsa patet. Nam, si actio aliqua propterea mala est, quia recedit, ac deficit à sua regula: ergo propterea operans debet illam vitare, quia tenetur à regula non deficere, sed ipsam potius quærere, ut eidem concordet in operando. Sanè deficere per operationem à regula, quam operans quærere non tenetur, nec eidem se conformare, malum non est, ut patet in primis inductione perenni per omnes prorsus regulas cujuscunque rationis, cujuslibet disciplinæ, vel artis. Enimverò pictor, ut talis, non reprehenditur aliquando, nec malus est in sua propria arte, eò quòd non observet militiæ regulas, neque mi-

les è contra, eò quòd regulas pictoriæ non servet: itidem secularis miles non agit, quia Religiosi regulam non observat; sed neque Religiosus, quia non adimplet regulam peculiarem, alteriusque Religionis propriam, quam scilicet ipse non proficetur; & sic posset inductio sine exceptione per omnes alias regulas ire, nisi foret supervacaneum.

8. Ratione insuper evidenti id ipsum demonstrare facile sit. Nempe malum morale, quatenus tale est, (& idem est de quolibet malo secundum suam propriam rationem) non est pura negatio rectitudinis, sive conformitatis cum regula honestatis, sed est privatio moralis bonitatis, idest carentia debitæ rectitudinis, & conformitatis ad regulam, ut docet sapè, ac probat Angelicus Magister, præsertim li. 3. cont. Gent. c. 9. ergo supponit in operante debitum aliquod, & obligationem quærendi, & amplectendi regulam ipsam: ergo idèò tenetur vitare actionem malam moraliter, quia tenetur regulam quærere, & eidem se conformare.

9. Quòd si quis velit contentiosè defendere, malum in esse talis non constitui per ipsam rectitudinis privationem, immò nec illam semper inducere; quia peccare quis potest, adeòque agere male moraliter, etiam si non teneatur, dum peccat, ad positivam aliquam rectitudinem, sed unice ad vitandum actionem malam per puram omissionem ipsius, aut per actionem indifferentem, quæ neque bona sit, neque mala: si quis, inquam, ita discurrat, in primis hæc opinio nova Theologia est, & paucorum recentium Theologorum, à Cajetano primùm inventa, contra mentem expressam D. Thomæ. Opposita verò sententia communis est apud veteres Theologos (quibus nempe, loquendo generaliter, auctoritas, & doctrina Sanctorum magis in corde, & in ore erat), adeò ut Magnus Suarius, postquam illam pro-

Sua. d. 11.
M. r. 6. 1. p.
3.

proposuit, sic pronuntiaverit: Hanc doctrinam amplectuntur omnes Theologi, Cajetano videlicet excepto, & uno, aut altero, quos inferius excipit, & eo in loco non consideravit, utpote singulariter recedentes à communi sensu Doctorum.

Eccles. Sin.
Om. Do-
cto.

10. Caterum, quod majoris ponderis est, communis hæc Theologorum sententia adeò constanter, atque frequenter à SS. Ecclesiæ Doctoribus non modò traditur verbis expressis, verum etiam ostenditur ex professò multis efficacissimis, optimisque rationibus, præsertim verò à SS. Dionysio Areopagita, Chrysostomo, Augustino, & Anselmo, ut etiam si rationes oppositæ, non tantum robustissimæ, verum, & insolubiles mihi apparerent, eas promptè contemnere non dubitarem; aut certè parum in Theologia valer auctoritas sacrorum Doctorum, quos *Sanctæ Ecclesiæ lumina, & optimos Doctores*, utique suos, appellat ipsa Ecclesia Catholica. Re verà tamen rationes insinuatæ, & aliæ omnes, quibus innititur illa Neotericorum singularis opinio, licet ad speciem subtiles, debiles tamen sunt, neque difficili solutione donantur. Vide, si libeat, P. Esparza communem, & veram sententiam optimè, ac eruditè propugnantem, argumentaque Recentiorum haud magno cum labore solventem.

Espar. q. 20.
d. act. hu-
ma.

11. Jam, quod spectat ad Doctorem Angelicum, communem Scholarum Magistrum, mirum sit, quòd potuerit de mente ipsius aliquis dubitare, ne dum errare, ac decipi, ut deceptus est Cajetanus. Porro Angelicus Doctor non obviter, aut semel, sed pluries datà operà, & in terminis propriis, questionem istam subtilissimè versat: ubique verò statuit pro conclusione (quam pro suo profundo, atque synoptico disputandi more, latè probat, atque propugnat), malum ut tale, seu formaliter sumptum, non esse aliud, quàm meram absentiam, defectum, cor-

ruptionem, seu privationem boni. Videatur locis hic adnotatis.

12. Quod verò S. Doctor illa q. 48. a. 1. ad 2. ac sæpè aliàs docet: *Malum, quod est differentia constitutiva, in moralibus est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni*, quod quibusdà fortasse occasio fuit, vel errandi, vel ambigendi circa mentem S. Doctoris: id verò solum probat, malum non esse privationem aliquam suo modo existentem à parte rei separatam ab omni alio positivo, ac reali ente, ut volunt aliqui parum Philosophi; sed esse materialiter, ac re ipsa, aliquod verum, & reale ens, adeoque verum aliquod bonum: quod utique verissimum est, ut Augustinus sæpè, & docet, & demonstrat acutissimè. Id tamen bonum, sive ens, positivum unice habet rationem mali formaliter, ac propriè sumpti, non ut aliquod bonum, & positivum est (nam hoc in ipsis terminis implicat); sed unice ut corrumpit, excluditque à subiecto, cuius est bonum, aliquod aliud bonum, non qualecunque, sed quod subiecto inesse deberet.

13. Utrumque tradidit satis perspicuè ipse Angelicus Doctor locis jam insinuat: *Dicendum* (inquit) *quod peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus*. Quod verò non entitate, ut tali, sed privatione potiùs formaliter sit malus, clarè docuerat inquiring: *Habet autem actus humanus, quod sit malus, ex eo quòd caret debita commensuratione*, scilicet ad regulam rationis, ut ibidem exponit S. Doctor: carentia verò debitæ commensurationis ad regulam privatio debitæ rectitudinis est. Vide Petavium nostrum li. 8. Theolog. Dogmat. c. 4.

14. Veruntamen, quidquid sit re ipsa de hac communi, solida, ac mihi prorsus certa doctrina, veritas infallibilis nostræ assertionis, & illationis ab ejus veritate non pender. Porro juxta opinionem particularem istorum Theologorum, qui constituunt malum morale formaliter,

S. Tho. 1. p.
tota q. 48.
1. 2. q. 71. 2.
6. corp. &
q. 72. a. 1.
corp. q. 1. &
2. d. Ma. &
3. cont. Gr.
c. 6. 7. 8. &
9.

D. Tho. 1. p.
q. 72. a. 1. 2.

q. præced.
a. 6. corp.

ac propriè sumptum, inſtendentia reali, ac poſitiva, ut tali, contra divinam legem, ſeu regulam moraliſ rectitudinis, ideò quis peccat actu, ſeu malè moraliter agit, quia liberè, ac moraliter contrariatur eidem regulæ per operationem actualem; hanc enim ipſi rationem à priori pro ſua illa opinione reddunt, nempe, quòd per tendentiam poſitivam, ut talem, & ante omnem formalem privationem, formaliter violatur divina lex, & operans repugnat, ac contrariatur regulæ honeſtatis moraliſ: ergo quia tenebatur illi non contrariari, aut repugnare: ergo quia tenebatur eidem regulæ ſe conformare poſitivè, vel ſaltem negativè: ergo quia tenebatur regulam ipſam quærere, cui conformaret ſe in operando: ergo ideò quis peccat, aut malè agit, quia contrariatur regulæ, quam tenebatur quærere, ut eidem ſe conformaret.

15. Utique nemo peccat, aut malè agit, ex eo quòd repugnet, aut contrarietur regulæ, quam quærere non debet, ut illi ſe conformet in operando, ut evidenter patet ipſo rationis lumine, & exemplis à nobis nuper prolatis. Ergo ideò tenemur actionem moraliter malam ſemper, & ubique vitare, quia ſemper, & ubique, ſi quidquam agere liberè velimus, tenemur quærere honeſtatis regulam, cui modo jam expoſito nos conformemus in operando.

16. Patet ergo radiceem univerſalem, & fundamentum tantæ obligationis vitandi actionem moraliter malam, eſſe regulam ipſam moraliſ honeſtatis, ſeu rectitudinis, quam quærere ſemper debemus, ut noſtras illi conformemus actiones poſitivè juxta communem, & veram Theologorum ſententiam, vel (quod alii contendunt, & ad præſens nihil ſpectat) ſaltem negativè aliquando, hoc eſt per actum indifferentem, vel puram omiſſionem actus prohibiti.

§. II.

Regula honeſtatis moraliſ, à qua tanquam à primo, & univerſali principio deſcendit obligatio fugiendi actionem moraliter malam, eſt lex aterna, ſeu voluntas Dei aliquid precipiens, aut prohibens: ubi reſellitur de re iſta ſingularis opinio P. Vazquez.

17. **L**egem, ſeu voluntatem æternam Dei, eſſe regulam primam, univerſalemque, moraliſ honeſtatis, in ipſo noſtri Operis limine ſine diſputatione poſuimus, tanquam ejusdem Operis fundamentum, primum, atque potiſſimum principium. Et quidem jure merito de illo diſputare nò oportebat; nam, ut ibidem etiam oſtendebamus, reſ eſt, quoad ſuam ſaltem ſubſtantiam, & prout facit ad noſtrum inſtitutum, & ex principiis fidei divinæ, & ex ipſo rationis lumine, nota. Nec curare debemus voluntarias quorundam, atque vocales, neque minùs inutiles quæſtiones, maximè, cum & voces, quibus nos utimur, vel in Scholis ipſis, comuniſſimæ ſint.

18. Scio, P. Vazquez, acerrimi, ac mirabilis ingenii virum, quem deinde Maratius ſecutus eſt, opinionem tenuiſſe de re iſta admodum ſingularem, ideòque cæteris communiter Theologis nimis ingratham, & inveroſimilem. Adeò nullus eſt homo, qui non verbo labatur, ſi loquatur ex homine.

Docuit nimirum, legem naturalem, & conſequenter primam honeſtatis moraliſ regulam omnium noſtrarum operationum, quæ naturalem legem concernunt, non eſſe imperium aliquod divinæ, vel rationis, vel voluntatis, neque item dictamen noſtræ rationis; ſed eſſe ipſam rationalem naturam ſecundum ſua prædicata eſſentialia non implicantiã contradictionem, quæ antecedit, re ipſa, omne dictamen noſtrum, actua-

Vazq. r. 21.
d 97. c. 3. 82.
d. 160. c. 115.
3. ac ſæpè aliàs.

actuale, & objectivè saltem, aut logicè, omnem divinam prohibitionem.

18. Unicum fundamentum istius opinionis singularis ex eo P. Vazquez petebat, quòd objecta, quæ intrinsecam, ac invariabilem habent in se ipsis, vel malitiam, vel bonitatem, non idèò mala, vel bona sunt, quia divina, aut humana, sive ratione, sive voluntate, prohibentur, aut præcipiuntur; sed è converso potius, propterea præcipiuntur, aut prohibentur, quia pro priori, & antecedenter, sunt in se ipsis bona, vel mala: aliàs possent, nec bona, nec mala esse, (quod impossibile prorsus est); quia possent, neque præcipi, neque prohiberi de facto. At nihil bonum, vel malum est, nisi per respectum ad legem, aut regulam moralem, cui repugnet, aut consonet: ergo, assignare oportet regulam aliquam, quæ antecedit omnem rationis, vel voluntatis operationem, sive humanam, sive divinam. Regula verò huiusmodi alia esse non potest, quam ipsa rationalis natura secundum sua prædicata essentialia, cui objecta illa propriam naturam suam, vel convenientiam sunt, vel repugnantia.

19. Hoc tamen fundamentum est manifestè falsum, & nullum; unde mirum non est, si falsam opinionem, prorsusque inverisimilem, ingeneraverit. Nam, quod nihil esse, aut concipi possit verè, ac propriè moraliter bonum, aut malum, non intellecta lege, seu regula rationis, cui consonet, aut dissonet, tanquam propriæ mensuræ, suæ malitiæ, vel bonitatis, meritò Vazquius ipse supponit, & constat evidenter ex dictis. Quòd verò regula, seu mensura ista non sit ipsa rationalis natura penes sua essentialia prædicata, videtur manifestum. Quia mensura, ac regula propria moralis bonitatis, vel malitiæ, debet esse lex aliqua propriè talis, & imperium legitimi Superioris objectum prohibetis, aut præcipientis, quale non esse constat naturam rationalem secundum sua prædicata essentialia.

20. Id in primis constat apertè ex Scriptura Sacra, & ex Sanctis Ecclesiæ Patribus. Ex Regio Vate ajente, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quæ verba sic expendit Angelicus Magister: *Unde cum Psalmista dixisset, Sacrificate sacrificium iustitiæ; quasi quibusdam quærentibus, quæ sunt iustitiæ opera? subiungit: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Huic quæstioni respondens dicit: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quam impressio divini luminis in nobis. Unde patet, quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Hæc D. Thomas. Quo verò sensu dictamen ipsum nostræ rationis dicatur esse lex naturalis, exponemus statim ex eodem S. Doctore.

21. Itidem ex Apostolo: *Cum igitur gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quid clarius contra Vazquii opinionem? Sed quòd peccatum omne sit contra legem aliquam verè talem, clarius adhuc deinde docuit idem Apostolus absolute pronuntians, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; licet enim loquatur de lege scripta determinatè, sententia tamen ipsa, quam profert, non limitata, sed absoluta est, & sensus ejus universalis.

22. Præterea SS. Patres id ipsum docent verbis perspicuis. Primò Augustinus tradens ipsam peccati definitionem à cunctis Theologis postea receptam, *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam Dei.* Est autem lex æterna ratio, vel voluntas Dei. Secundò ipse Augustinus ad illa verba Psalmi 118. *Prævarican-*

Psal. 4.

D. Tho. 1.
2. q. 91. a. 2.
corp.

Ad Rom.

Ibi. c. 4.

Aug. 1. 1. 1.
cont. Faust.
c. 26.

cantes reputavi omnes peccatores terra: ex quibus ita arguit: Si pravaricatores sunt omnes peccatores terra, nullam est utique sine pravaricatione peccatum: nulla est pravaricatio sine lege: nullum est igitur, nisi in lege peccatum. Tertiò idem Augustinus:

Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.

Quartò Ambrosius: Peccatum (inquit) est divine legis pravaricatio, & celestium inobedientia mandatorum.

Et rursus: Non consisteret peccatum: si interdictio non existeret. Similia tradunt Damascenus, Hieronymus, & reliqui Patres frequenter, à quorum verbis referendis abstinco in re comperta, brevitate causâ.

23. Nec Vasquii fundamentum momenti est. Audiatur Angelicus Doctor, qui propugnans Augustinianam, & receptam ab omnibus definitionem peccati, id ipsum sibi objicit per hæc verba: Ex hoc dicitur aliquid esse prohibitum, quod legi contrariatur: sed non omnia peccata sunt mala, quia prohibita, sed quedam sunt prohibita, quia mala: non ergo in communi definitione peccati debuit poni, quod sit contra legem Dei. Cui argumento respondet: Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur (observa verba ista) primo quidem in lege aeterna: secundariò verò in naturali iudicatorio rationis humanæ: tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipso, quod est inordinatum, juri naturali repugnat. Hæc Angelicus Doctor, quibus nihil restat addendum.

24. Quod verò P. Vazquez deducebat tanquam absurdum, & absurdissimum re verà est, fore nimirum, ut objecta illa possent esse non bona, neque mala moraliter, quia possent neque præcipi, neque prohiberi de facto: hoc verò falsum omnino est, neque rectè deducitur ex illo

antecedenti, id est, ex vera, & communi sententia. Ratio est: nam, ut aliquod objectum necessariò, & non contingenter, à Deo præcipiatur, aut prohibeatur, opus non est, ut habeat pro priori ad legem divinam præcipientem, aut prohibentem, propriam, ac consummatam, bonitatem moralem, aut malitiam, sed sufficit, quod sit per se ipsum, vel repugnans, vel necessarium ultimo fini naturæ rationalis, atque adeò eidem naturæ, vel conveniens per se, vel disconveniens; hoc enim ipso debet necessariò, vel præcipi de facto, vel prohiberi ab Auctore talis naturæ, ne alioqui deficiat à proprio suo munere, & providentia, quod in ipsum non cadit, ut per se constat.

25. Hoc verò non est, illud objectum, de quo loquimur, habere antecedenter ad ipsam legem per quam præcipitur, aut prohibetur, bonitatem moralem, vel malitiam consummatam, atque perfectam, sed vialem duntaxat, inchoatam, & imperfectam, quæ dici solet fundamentalis, id est, quæ per se fundat prohibitionem, cum ipsâque necessariò connectitur: ad differentiam objecti indifferentis, & nec boni, nec mali naturâ suâ, quod potest contingenter præcipi, aut prohiberi per legem aliquam positivam, cum qua non est de se connexum.

26. Igitur P. Vazquez in eo deceptus est, quod intrinsecam illam, aut necessariam disconvenientiam, aut dissonantiam objecti per se turpis, ac mali cum ipsâ rationali natura (idem est vice versa de convenientia intrinseca objecti per se honesti) dixerit malitiam moralem, propriam, perfectam, ac consummatam. Unde, cum illa sit quodammodò prior omni divina prohibitioni, omnique nostræ rationis dictamine, respiciatque immediatè, ac directè ipsam rationalem naturam, secundum sua prædicata essentialia, coactus est asserere, naturam ipsam esse legem, mensuram, ac primam

ZZ 2

re-

Idem Aug.
li. de Pec-
cator. me-
rit. & re-
miss. c. 16.

D. Tho. I.
2. 2. q. 71. a. 6.

regulam, per ordinem ad quam absolute prædicta malitia desumitur, quod ex jam dictis constat esse falsum; præsertim ex testimoniis paginæ sacre, & Sanctorum Doctorum nuper expensis; juvat tamen id ipsum ulterius demonstrare, ut evidentiùs constet, quàm sit certum, & evidens principium istud à nobis statutum, non solum quoad substantiam, & rem ipsam, sed quoad modum etiam loquendi.

§. III.

Demonstratur ulterius falsitas opinionis prædictæ, & exposito proprio legis naturalis conceptu, præcedentis paragraphi promovetur assumptum.

27. **E** Nimverò malitia actionis moralis, propria videlicet, ac consummata, desumi nequit per respectum ad regulam, quæ mortuo quodam modo, ac purè materialiter regulet, aut mensuret (hæc utique non regula dici meretur, sed mensura, aut quasi mensura, quæ multò latius patet, quàm regula); sed per respectum potiùs ad regulam rationis verè talem, quæ nimirum vitali, ac rationali modo regulet eandem actionem, ostendendo videlicet, atque significando ex præjudicata sententia regulantis, aut mensurantis, objectum illud esse fugiendum; hoc enim differt rationis regula, ut propria est actionis moralis, ab aliis regulis purè objectivis, emortuis, atque materialibus, quæ non tam regulæ, quàm mensuræ sunt, quòd sit præ illis quædam intentionalis lux (aut illam immediatè, ac per se præsupponat) instruens, aut dirigens operantem non velut casu quodam, sed ex propria intentione, consilio, ac providentia dirigentis, ad amplectendum, vel fugiendum objectum, juxta illud, *Præceptum Domini lucidum illuminās oculos, & Mandatum lucerna est, & lex lux*, qui-

Psal. 18.

Prov. 6.

bus consonat illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Manifestum est autem, hæc omnia propriè cadere haud posse in ipsam rationalem naturam, prout antecedit omnem legem divinam, omneque humanæ rationis dictamen.

Psal. 118.

28. Confirmatur ulterius, & declaratur. Regula vera, ac propria actionis moralis, per ordinem ad quam, tanquam ad primam ejus mensuram, desumitur malitia talis actionis (idem est respectivè de bonitate) præ cunctis aliis regulis regular, ac mensurat in ordine ad ultimum finem, nimirum hominem verè, ac propriè obligando, ut abstineat ab ea actione, tanquam ejusdem finis impeditiva, alioquin homo verè non teneretur regulam istam querere, ut se illi conformet in operando, unde nec malè moraliter ageret ab illa voluntariè recedendo, neque irrogaret regulanti injuriam, neque proptereà dignus evaderet pena aliqua sustinenda; quæ patet esse evidenter falsa.

29. At non minùs est evidens, naturam rationalem secundum se minimè posse hoc pacto regulare, vel mensurare moralem actionem; etenim regulare modo dicto, idest, verè, & propriè obligando, est munus proprium legis veræ, ac propriæ, aut præcepti, alicujus Superioris ut talis, qualis esse nò potest natura hominis respectu sui ipsius, ut ex ipsis terminis patet. Evidens ergo est, naturam rationalem secundum sua prædicata essentialia non esse primam regulam moralis honestatis, per ordinem ad quam desumi possit moralis malitia, propria videlicet, atque consummata.

30. Dicis: hæc nimium probare videntur; nam juxta hanc doctrinam, nec naturale ipsum rationis humanæ dictamen erit mensura, aut regula propria actionis moralis ut talis, neque obligare poterit ad aliquid agendum, vel omittendum, cum nò sit alicujus Superioris præcipientis,

tis, aut prohibentis. Id verò falsum esse, pliusquàm certum videtur, cum nihil sit frequentius, non solum apud Theologos, sed etiam apud SS. Ecclesiæ Patres, quàm lumen nostræ rationis naturalis, quo naturaliter dijudicamus, & bonum à malo discernimus, esse legem ipsam naturæ, qua verè homines obligantur ad agendum id, quod præscribit, alioqui verè, & propriè peccaturi, ideoque malè acturi moraliter.

31. *Lex natura* (inquit Maximus) *est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad defendendam vim irrationalem.* Item Lactantius ex verbis Tullii, & communi sapientium sensu, ita describit legem naturalem. *Est quidem vera lex recta ratio natura congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando &c.* quibus similia plurima obvia sunt apud PP. Quin D. Thomas ipse id etiam clarè docet verbis supra productis, ac sæpè aliàs. At lex naturæ secundum omnes vera mensura est, & regula moralium actionum, per ordinem ad quam illæ dicuntur, & verè sunt moraliter bonæ, vel malæ. Ergo.

32. Obiectio hæc non paucis Theologis nimiam facescit difficultatem, quàm dum clarè, & exactè volunt exponere, terminos, & voces accumulunt, quibus rem egregiè confundunt; cum tamen sit facillimæ expositionis, & res ipsa probè intellecta penitus certa, ac indubitabilis. Eam nos alibi dilucidè exposuimus, dum Tractatum de Legibus dictaremus discipulis, & iterum nunc breviter, luculenterque exponimus, ut tradita à nobis doctrina, quæ debet esse apud omnes certa, ex occasione difficultatis objectæ facilius percipiat, & illustretur magis.

33. Notandum ergo est, (quod alibi jam observavimus ex D. Thoma), legem naturæ, (& idem de qualibet alia cum sua proportionem dicendum) posse dupliciter considerari: vel prout existit in ipso Deo,

tanquam in vero Legislatore, & ejusdem legis auctore dirigente per ipsam, ac regulantem creaturas suas (rationales scilicet, quæ verè sunt directionis capaces); vel prout est in hominibus tanquam in subditis per legem dirigendis, ac regulandis. *Lex* (inquit S. Doctor), *cum sit regula, & mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante, & mensurante; alio modo, sicut in regulato, & mensurato.*

D. Tho.
dict. 9. q. 91.
a 2. corp.

34. *Lex natura*, prout est in ipso Deo, nihil est aliud, quàm voluntas ipsius sempiterna, atque necessaria (vel ratio, si placuerit legem constitui in actu rationis, de quo nobis non est curandum) prohibens, aut præcipiens necessario, ac per se quidquid est per se turpe, vel honestum modo nuper expósito, hoc est, rationali naturæ per se conveniens, aut disconveniens in ordine ad suum finem ultimum consequendum. Eadem verò lex, prout existit in homine, est naturale ipsius dictamen proponens legem ipsam, seu voluntatem æternam Dei sic præcipientem, aut prohibentem.

35. Ubi nota, dum dicimus, objecta per se honesta præcipi per legem naturæ, sensum non esse, omnia, quæ intrinseca honestate prædita sunt, præcipi rigoroso, & stricto præcepto; sed ea tantum, quorum honestas est per se necessaria ad finem ultimum consequendum. Cætera verò virtutis opera, quamvis excellentissima naturâ suâ, & honestissima per se sint, probantur quidem maxime, commendantur, atque consuluntur à Deo, strictè tamen minime præcipiuntur per generalem naturæ legem; licet possint per legem particularem strictè quoque aliquando præcipi, quia ex aliquo accidenti fieri possunt ad finem ultimum necessaria simpliciter, ratione scilicet peculiaris status, præcepti humani, professionis, aut voti, de quo post pauca.

36. Igitur lex naturæ, prout exi-

Maxim. to.
5. Biblioth.
centu. 5. c.
13.

Lactant. li.
6. de ver.
cul. c. 8. ex
Tull. li. de
Rep.

D. Tho. 9.
præced. nu.
24.

existit in Deo, id est, æterna illa voluntas Dei prohibens, aut præcipiens necessariò objecta per se turpia, aut honesta, est verè, propriè, & unicè, ratione sui, ac formaliter, lex naturalis, adeòque vera regula, ac mensura cunctarum actionum moralium, quæ præfata objecta respiciunt, per ordinem ad quam, tantquam ad primam honestatis regulam, desumitur earundem actionum honestas, aut malitia moralis: ipsum verò dictamen nostræ rationis proponens nobis eadem objecta, velut prosequenda, aut vitanda, non est lex naturalis propriè, ac simpliciter, sed participativè duntaxat, secundariò, & secundùm quid: nempe lex naturalis, non absolute, sed ut applicata, & prout existens in nobis ipsis, sicut in regularis, ac mensuratis, ut aiebat Doctor Angelicus: consequenter non potest esse regula prima moralis honestatis; sed regula tantummodò proxima, ac secundaria unicè regulans per conformitatem ad primam honestatis moralis regulam, id est, ad legem ipsam naturæ, quam nobis proximè proponit, & applicat.

37. Atque hoc est, quod supra docebat Angelicus Præceptor, nempe *Jus naturale contineri primo quidem in lege æterna* (hoc est in voluntate, seu ratione divina æterna, ac necessaria): *secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ*, id est, in naturali rationis humanæ dictamine, quo discernit bonum à malo.

38. Ratio verò patet ex dictis: quia sola voluntas divina regulat morales actiones per modum veri, ac proprii præcepti legitimi, ac supremi Superioris dirigentis subditos suos ad suum ultimum finem obtinendum, & illos sua auctoritate obligantis per voluntatem suam ipsis significatam ad prosequendas, aut vitandas actiones necessarias ad ipsum finem, vel ejusdem impeditivas. Aliunde verò ejusmodi voluntas est per se ipsam essentialiter sancta, mo-

raliter recta, & honesta, immò moralis ipsa sanctitas, rectitudo, & honestas, nec regulat per conformitatem ad superiorem illam voluntatem. Est ergo per se ipsam lex naturalis, adeòque intuitu prædictarum actionum, prima, ac suprema regula honestatis moralis.

39. At verò naturale humanæ rationis dictamen secundùm se præcise consideratum non regulat, nec potest, ratione sui, hominem verè, ac propriè obligando, sed unicè quatenus nobis actualiter proponit, & applicat voluntatem legitimi Superioris, quæ solum habet vim obligandi, id est, legem æternam, seu voluntatem illam Dei necessariam, qua memorata objecta jubet, aut prohibet; ut illativa, vel impeditiva consecutionis ultimi finis, ad quem Deus per legem suam dirigit creaturas rationales.

40. Dictamen ergo humanæ rationis unicè potest regulare, aut dirigere, per modum proximæ applicationis legis æternæ, seu voluntatis Dei, adeòque solum regulat per ordinem, & conformitatem ad ipsam voluntatem divinam tantquam ad veram legem, ac regulam per suam essentialem rectitudinem unicè, absolute, ac simpliciter, dirigentem, ac regulantem. Unde dictamen ipsum non tam est regula, quam regulatio ipsa, sicut non tam est lex, quam legis propositio, & applicatio: vel ad summum poterit dici regula secundaria, & subalterna, & ipsi voluntati divinæ tantquam regulæ primæ subordinatæ. Vide, quæ diximus li. præced. ad contr. 6. toto art. 6. & 7.

41. Quòd verò ejusmodi dictamen rationis frequenter dici solet à Theologis, & Patribus, lex naturalis, cum tamen verè ratione sui simpliciter, ac propriè non sit lex (de quo nemo potest ambigere), varia, ac multiplex ratio facile reddi valet. & satis congrua.

Prima, quia generaliter cognitio-

D. Tho. citat. q. 71. a. 6 ad 4.

tionem objecti, cum objectum contineat intentionaliter, accipere solemus pro ipso objecto. Secunda, & peculiaris, quia dictamen prædictum ab ipsa lege æterna procedit tanquam effectus proprius, & specialis impressio ipsius, ut supra agebat Angelicus Doctor, ratione cujus legem ipsam æternam specialiter representat. Tertia, quia est commune, & uniforme in cunctis hominibus, saltem quoad prima principia moralia, quorum notitia est eadem apud omnes gentes, quantuncunque incultas, ac barbaras; *Nulla enim anima est* (ait Augustinus), *quæ ratio- cinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus*, nempe per legis naturalis notitiam.

42. Quarta, quia ratio nostra, quatenus exprimit legem naturalem, specialiter ipsam imitatur, in eo quod sit constans, necessaria, indefectibilis, & invariabilis. Quintademum, quia specialiter habet secundum prima illa, & universalia dictamina imperare libero arbitrio, mentem illuminare connaturaliter, hominem gubernare, ac dirigere, quæ sunt propria, ac præcipua legis naturalis officia; non enim pendens est, sicut aliarum legum notitia ab exercitio libero voluntatis ipsius hominis, sed necessario potius, atque connaturaliter ab ipsa natura dimanat. Vide Eximium Doctorem, à quo doctrinam istam ferè totam sumus mutuati, quam ipse latius, & copiosius illustrat.

43. Propter has ergo, & alias satis cõgruentes rationes meritò naturale humanæ rationis dictamen, lex naturalis appellatur frequenter: quod, quo sensu sit verum, clarè monstratum est. Nec nimium esse oportet de modo loquendi sollicitos, ubi rem ipsam liquidò teneamus. Nam quòd lex naturæ propriæ talis, per ordinem ad quam tanquam ad primam honestatis regulam desumi debeat bonitas, aut malitia moralis cùctarum humanarum actionum ver-

santium circa objecta per se, ac intrinsecè turpia, vel honesta, non sit dictamen ipsum naturalis rationis, neque item ipsa rationalis natura, secundum sua prædicata essentialia, ut P. Vazquez malè contendebat; sed sola lex æterna, seu voluntas divina prædicta objecta iubens, aut prohibens: id, inquam, certum, & extra controversiam apud omnes esse debere, manifestum, ac liquidum factum est.

44. Cæterum audi ulterius Augustinum egregiè de re ista differentem, & ad nostrum propositum opportunissimè. Nimirum cum dixisset li. I. cont. Academ. in prima, quam instituit, disputatione, *Quid censes, inquam, esse aliud beatè* (hoc est, honestè) *vivere, nisi secundum illud, quod in homine optimum est, vivere?* Hæc verba postea emendat, aut distinctius exponit i. Retract. c. I. in- quiens: *Hoc quidem verum est. Nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quàm mens, & ratio: sed non secundum ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere* (nempe, sistendo in illa, tanquam in prima, ac suprema regula), *alioquin secundum hominem vivit, cum secundum Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem prevenire, propter quam consequendam non se ipsa debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.* Hæc Magnus Pater, quibus nihil sapientius dictum.

§. IV.

Nova tandem, ac penitus convincenti ratione, demonstratà cõmuni Theologorum sententiâ, perficitur idem assumptum.

45. **S**ed verò, quòd non aliquid creatum, & finitæ duntaxat bonitatis, sed sola lex æterna, seu voluntas divina, sit prima, universalis, unica, atque suprema, regula honestatis moralis respectu omnium moralium actionum universaliter, & in om-

Aug. li. 2.
de Sermo.
Do. i. in
mon. c. 7.

Aug.

Sua. li. 2. de
leg. c. 5. &
6.

omni materia, demonstrari facile potest hac unica ratione penitus convincenti.

Regula prima moralis honestatis, per ordinem ad quam cujusvis moralis actionis bonitas, vel malitia desumitur, ubique debet esse sine exceptione ulla tantæ excellentiæ, atque bonitatis, ut secundum rectam rationem ipsius valor, & æstimabilitas præponderet omnibus bonis creatis, atque creabilibus: adeo ut, si foret opus, deberet potius quis carere bonis omnibus possibilibus, & sustinere quæcunque mala, quàm à prædicta regula voluntariè recedere per actionem quamcunque, etiam levissimè eidem repugnantem.

46. Hanc positionem puto nemo Theologus, immò nemo Catholicus inficiabitur; est enim fidei supernaturalis, & rationis ipsius lumine compertum, ac notissimum principium, malum morale, quodcunque demum sit, præponderare malis omnibus physicis, tam positivis, quàm negativis, ita ut in nullo prorsus eventu possibili, vel cogitabili, possit eligi honestè, secundum rectam rationem, propter vitanda quæcunque mala, vel obtinenda quæcunque bona.

47. At bonum adeo excellens, ut debeat modo dicto juxta rectam rationem præferri bonis, ac malis omnibus, nequit esse finitæ, limitatæque bonitatis, sed increatæ potius, & infinitæ, ut manifestum est ex ipsa terminorum acceptione. Ergo regula prima moralis honestatis, per ordinem ad quam desumi debet, ac mensurari, moralis bonitas, aut malitia quarunlibet humanarum actionum, nullibi potest esse aliquid limitatum, ac finitum, sed debet potius esse ubique, & in omni materia, divinum aliquid, & increatum.

48. Jam, si divinum aliquid esse debeat, nõ potest munus regulæ moralis honestatis universalis, primæ, ac supremæ, in aliquid congruentius referri, quàm in divinam volunta-

tem, ut talem, quæ inter omnia divina prædicata primo intelligitur, universaliter dirigens, ac movens creaturam rationalem ad suum finem ultimum consequendum, reprobans omne objectum turpe, & approbans omne objectum honestum; illud propriè, & strictè prohibendo, hoc verò precipiendo, vel strictè, vel latè, idque, vel necessariò, ac per legem naturæ, vel contingenter potius, & liberè per legem aliquam positivam, & naturali juri superadditam juxta cujuslibet objecti naturam. Ergo divina voluntas, ut talis, est prima, universalis, atque suprema regula totius honestatis moralis.

49. Porro: natura ipsa divina, & ratio ultimi finis, ut à divina voluntate distinctæ eo modo, quo ab ipsa distingui possunt, mensurant quidem morales actiones per naturalem ipsam bonitatem, essentialemque suam rectitudinem, nec verò omnes, sed illas tantum, quæ intrinsecæ, ac naturæ suæ, moraliter sunt bonæ, vel malæ; non tamen eas regulant verè, ac propriè: alias autem actiones nec regulant, neque mensurant antecedenter ad contingentem, liberamque determinationem ipsius voluntatis divinæ illas, vel præcipientis, vel prohibentis. cum ante illam, nullam omninò habeant, neque malitiam, neque bonitatem. Idem dicendum de sapientia divina, nisi quod hæc strictius, magisque propriè, habere possit rationem regulæ; sed quæ similiter regulare nequeat omnes omninò morales actiones antecedenter ad voluntatem: fortè item non regulat per modum imperii, vel legis, quod verosimilius putamus.

50. Sola ergo voluntas primò intelligitur universaliter reprobare, vel approbare omnes omninò morales actiones, illas vel necessariò, vel contingenter, juxta propriam naturam uniuscujusque, prohibendo, vel imperando, adeoque adinstar regulæ verissimè, ac propriissimè regulantis. Ergo sola voluntas præ cæteris di-

divinis prædicatis dici debet regula prima, universalis, atque suprema, rarius honestatis moralis, per ordinem ad quam desumi debet in omni materia cunctarum humanarum actionum bonitas, aut malitia moralis.

§1. Fateor, nihil ad nostrum institutum referre, quod prima regula moralis honestatis, modò divinum aliquid semper sit, constitutur formaliter, ac propriè, in hoc, vel illo divino prædicato. Sed quia modus loquendi usitatissimus apud Patres, & Theologos id munus voluntati, seu legi Dei æternæ, semper attribuit, optimo quidem jure, ut ostendimus: idèd & nos ita claritatis gratiâ, & hæcenus locuti sumus, & deinceps semper loquemur.

§. V.

Concluditur ex dictis, ut sacra pagina apprime consentaneum, strictam, & generalem obligationem vitandi semper malum omne morale, oriri ut ex principio, primoque fundamento, ex voluntate, seu lege Dei æternæ summè à nobis amanda, atque pro viribus semper querenda, ut nostras illi conformemus actiones.

§2. **H**æc conclusio ex doctrina, quam per totum articulum stabilivimus, tanquam ex præmissis legitimis, nec minùs evidentibus, ultrò descendit. Quare breviter tantummodò reflexione, seu terminorum eget explicatione.

Enim verò, principium, ac primum fundamentum, ex quo procedit universalis, ac stricta hominum obligatio fugiendi semper malum omne morale, est prima, atque suprema, regula honestatis moralis, quam homo ubique querere debet, ut se illi conformet in operando, ut demonstratum est §. 1. Deinde primam istam, universalemque regulam morum, esse legem æternam, seu voluntatem Dei, duobus præcedenti-

bus §§. haud minùs evidenter ostensum est. Ex his verò concluditur evidenter per illationem immediatam, & claram, primum principium, ac fundamentum strictæ, & universalis obligationis vitandi actionem moraliter malam, esse legem æternam, seu voluntatem Dei, quam summè ubique amare, ac querere debemus, ut cunctas nostras illi conformemus actiones. Quid precor evidentiùs?

§3. Nihil profectò magis consentaneum obviis Scripturarum locutionibus, communi Sanctorum doctrinæ ex Scripturis ipsis more ipsorum depromptæ, cunctorum denique Catholicorum, immò & communi mortalium sensui.

Nam Scriptura Sacra nihil frequentius nobis, impensiusve commendat, quàm diligens studium, & indefessam sollicitudinem, diligendi, ac querendi voluntatem, & legem Dei, quippè in qua tota sit, vita, salus, felicitas, sapientia, fortitudo, & beatitudo nostra.

§4. Hinc crebra illa, ignitaque fulpiria SS. Patriarcharum, & Prophetarum, præsertim Regii Vatis à Deo, tanquam votorum summam petentis, & ardentissimè desiderantis, cognitionem divinæ voluntatis, & legis, ad illam semper, & ubique servandam: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Da mihi intellectum, & servabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Utinam dirigantur via mee ad custodiendas justificationes tuas. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Da mihi sedum inarum assidricem sapiētiam, ut sciam quid acceptum sit apud te: & alia huiusmodi.*

Psal. 142.

Psal. 118.

Psal. 24.

Sap. 9.

§5. Hinc illa summa, frequentiaque præconia, quibus ipsius voluntatis divinæ sanctitas, excellentia, dulcedo, salubritas, utilitas commendatur: *Vita in voluntate ejus. Querite Deum, & vivet anima vestra. Lex tua in medio cordis mei. Iudicia Domini vera justificata in semet-*

Psal. 39.

Psal. 63.

Psal. 23.

Psal. 18.

Aaa

ipsa.

ipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Nosse enim te consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam radix est immortalitatis: quibus similia plurima passim occurrunt.

56. Hinc illæ eximie laudes charitatis, quæ voluntates nostras perfectè cum divina conjungit, & nos quodammodò transfundit in Deum; sine qua nihil nobis prodesse potest: quæ bonis omnibus est præferenda: quam dum non ammittamus, nihil ultra boni requirere, nihilque mali timere debeamus. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Qui adheret Domino, unus spiritus est. Si charitatem non habuerit, nihil sum: nihil mihi prodest. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Mihi autem adherere Deo bonum est. Finis autem præcepti est charitas. Quid enim mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Unam petii à Domino, hæc requiram. Porro unum est necessarium.

57. Eòdem etiam tendunt illæ magnifica, neque minùs crebra præconia, quibus commendatur sapientia, per quam in Scripturis frequenter intelligitur non solum maxima intellectus perfectio, sed etiam pia affectio, rectitudoque voluntatis, immò & universalis morum honestas juxta illud, Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.

58. Denique eòdem referri debent frequentissima encomia ipsius Dei timoris, per quem nempe cavemus omne peccatum, & à Dei voluntate nunquam recedimus. Quas

verò de sapientia, atque timore Dei Scriptura laudes accumulatur, prolixum foret nimis, vel ex parte, velle colligere. Sufficiat de sapientia, quod dicitur, Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et paulò post: Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei. De timore autem: Timentem Dominum non occurrent mala. Et rursus: Timentis Dominum beata est anima ejus.

59. Quid verò per hæc omnia docere voluit nos Deus noster? Sanè non aliud, quàm nostram conclusiorem: nimirum voluntatem, seu legem Dei debere nobis esse potissimum, aut unicuique potiùs principium nostrarum omnium operationum, totius nostræ sollicitudinis, nostrarumque curarum scopum, in quem respicere semper debeamus juxta illud Apostoli, Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite: ita ut si quid nos avocet à voluntate Dei, quantumvis commodissimum contingere nobis videatur, incunctanter relinquendum sit; quidquid verò non avocet, sed eidem potiùs conjungit, etsi nobis alioqui incommodum, aut durum appareat, totis animæ viribus amplecti, toto cordis affectu prosequi non gravemur: si quid præter hæc omnia reliquum sit, quod ex se neque avocet, neque conjungat, quia præter Dei voluntatem est, nihil prorsus fiat, nec quidquam pensi habeamus illud vel possidere, vel amittere.

60. Denique hoc unum universale bonum eminentissimè bonæ omnia complectens, unicè à nobis querendum est, illudque tanquam unica mensura nostrorum omnium bonorum, aut malorum præfigendum, & accipiendum, à quo nempe si quando per aliquam actionem separari contingat, nihil boni simpliciter reliquum sit: quandiu autem ab illo non recedamus, nihil mali censere,

nc-

Pfal. 118.

S. Petr. 3.

neque formidare velimus juxta illud Psalmistæ, *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis, & illud D. Petri, Et quis est, qui vobis neceat, si boni amulatores fueritis?* Quidquid ergo faciendum, vel omit- tendum nobis occurrit, propterea vel ommittere, vel facere debemus, quia tenemur ubique, & in cunctis nostris actionibus quarere diligen- ter, & super omnia voluntatem, & legem Dei, nunquamque ab illa, vel leviter, recedere propter quodcun- que bonum habendum, vel quodlibet malum vitandum.

61. Hanc signatissimam ipsius Dei doctrinam adeo frequenter nobis SS. Patres Ecclesiæ exponentes præfata sacræ paginæ verba, inge- runt, commendant, inculcant, ut eor- um congerere testimonia prolixus foret, ac dispendiosus labor, cum, ibidem videri facile possint.

S. VI.

Ipsa rationis lumine naturali eadem Veritas nota est.

62. **I**mmo veritas ista non modo fidei lumine ex Scripturis Sacris per Sanctos Ecclesiæ Doctores expositis, & illustratis, cunctis Catholicis notissima est, sed omnium etiam mortalium intellectibus natu- rali lumine insita, ut minimam sub ratione communi, & quoad suam saltem substantiam.

Equidem nulla est creatura ra- tionis particeps, quæ non censeat amandum super omnia, & non amet ultimum finem, id est, beatitudi- nem suam, quæ est maxima perfe- ctio, & summa ipsius creaturæ feli- citas, ut patet ex Philosopho, Augu- stino, & Doctore Angelico, id non semel docentibus tanquam princi- pium maxime notum. *Pro verissimo* (inquit Augustinus) *certissimoque po-* *sumus, beatè vivere omnes homines* *velle. Subjungitque post pauca, Nec* *de hoc Academicus ille Cicero dubita-*

Aug. li. 13.
de Tri. c. 4.

vit, qui cum vellet in Hortensio Dia- *logo ab aliqua re certa, de qua nullus* *ambigeret, sumere sue disputationis* *exordium: beati certe, inquit, omnes* *esse volumus. Vides, qua firmitate* *consuerit Augustinus, principium,* *hoc esse omnibus notum?*

63. Hanc verò naturalem, & fir- missimam omnium persuasionem comitatur, aut sequitur necessario judicium aliud, quo certo judicemus, omnes actiones nostras juxta rectam rationem ad eum finem esse referen- das, nunquamque committendum, ut per ipsarum aliquam ab illo rece- damus, vel periculum aliquod (quan- tum in nobis fuerit) incurramus pos- sessionis illius amittendæ, alioqui bonum illud non esset maximum, neque cæteris omnibus præferendum. Nam, ut aiebat idem Augustinus, *Illud est finis boni nostri, propter quod* *appetenda sunt cætera, ipsum autem* *propter se ipsum. Nihil ergo cavere,* *aut fugere debemus, nisi quia nos* *simpliciter avertit à nostri finis con-* *secutione, vel quia saltem constituit* *in aliquo periculo possessionem il-* *lius non assequendi. Sanè, quod nec* *avertit ab eo fine, nec in præfatum* *periculum deducit, aut est bonum,* *simpliciter, adeoque non fugiendum,* *vel saltem est indifferens, & neque* *ex se conducens ad finem, neque ip-* *simum aliquomodo impediens, adeo-* *que nec fugiendum, nec amandum,* *sed nihili potius faciendum.*

Aug. li. 19
de Civit.
Dei c. 1.

64. Patet ergo, principium sta- bilitum non solum esse certum, & evidens ex Scriptura Sacra, ex SS. Patribus, ex principiis Theologicis, verum etiam ex ipsa ratione natu- rali, sub communi saltem ratione, qua- tenus notum omnibus est, & ab ipsa natura inditum, nihil fieri à nobis, aut vitari debere, nisi propter ulti- mum finem, quicumque tandem ille dicatur, in cujus possessione, videlicet, collocatur ab omnibus summa feli- citas, & beatitudo perfecta hominis, præ cæteris bonis optanda, & à cun- ctis semper quaerenda.

Aaa 2 Cæ-

Aristo. 1.
Ethi. c. 4.

65. Ceterum, cum in ista veritate summa mortalium omnium consensio sit, ut præmittit Philosophus in principio Ethicorum, nihilominus tamen *de felicitate* (ut subiungit), *quænam sit* (nempe in particulari) *dissentiunt*. Quid *dissentiunt*? Non alibi turpius; ac largius, mundi sapientes deliravare, adeo ut pene ad trecentas diversa eorum opiniones extiterint, teste eodem Philosopho, & Augustino Marcum Varro-nem referente; quod idem Augustinus, tum ibidem, tum alibi, merito vehementer miratur.

August. de
Civit. ubi
nuper, & li.
13. de Tri.
c. 4.

66. Causas verò, cur illi tam turpiter erraverint in applicatione principii usque adeo apud omnes certi, exponit Augustinus ibidem, apud quem, si libuerit, videri poterunt, nec sine fructu, deservient enim, ut facile quis videat, quàm sit intellectus humanus monstrosè fallax, atque delirus, ubi temperies morum, & ab inordinatis affectionibus voluntatis puritas desit, de quo infra plura magnopere notanda.

67. Nos tamen, qui per summum, ac singulare Dei beneficium, eadem certitudine novimus, ultimum finem nostrum, cuius vera possessio verè nos beatos constituit, non alium esse, quàm Deum ipsum; ex illo principio notissimo ab Ethnicis Philosophis mundi sapientiâ, id est, verâ stultitiâ tumidis, ac superbis, adeo infelicitè intellecto, facile quoque, ac certò concludimus, omnes actiones nostras morales referendas in Deum esse. Cumque nobis id ipsum voluntate, seu lege sua, tanquam primariâ regulâ morum, determinatè Deus ipse præscribat, fit tandem, ut certissimum nobis sit, nihil à nobis fieri, caverive debere, nisi propter divinam voluntatem, quam summè ubique amare, & quærere semper debemus, ut nostras illi conformemus actiones, tanquam primæ mensuræ, atque supremæ regulæ morum.

68. Patet igitur, primum, &

universale principium, ex quo tota descendit moralis obligatio ad aliquid agendum, vel omittendum, esse voluntatem divinam, ita ut illâ non, intellectâ ut regula nos dirigente, nihil prorsus huiusmodi possit intelligi; sed quidquid forè præter illam sit, neque fieri à nobis, neque caveri debeat, sed tanquam nihil prorsus contemni, & nihil omnino curari.

ARTICULUS II.

Resolvitur ex dictis questio instituta sub quadam generali ratione.

§. I.

Corollarium deductum immediatè ex proximè statuta doctrina, ad præfatam questionis resolutionem immediatè quoque deducens.

69. **T**ota doctrina præcedētis articuli non modò vera, ac solida est, sed usque adeo in Theologia certa, ut à nemine possit, qui terminos intelligat, in quæstionem unquam adduci.

Ex illa verò statim apparet evidenter, principium unicum, ac generale, primamque adæquatam rationem, unde tota descendit obligatio, qua vitare tenemur quodcunque malum proximi, aut periculum ejus inferendi, esse voluntatem divinam, quæ malum illud fieri prohibet, adeo ut, illâ formaliter non intellectâ, nulla possit intelligi moralis obligatio ad prædictum malum cavendum.

70. Ratio ex proximè dictis evidens est: nam malū quodvis proximi physicum, aut morale, ideo præcisè cavere tenemur, quia nisi diligenter caverimus, malè moraliter operamur, adeoque non illud cavere, propriè, ac moraliter malum est. Utrique, si moraliter malum non esset non cavere ejusmodi malum, qui sponte non caveret, vel benè ageret, vel saltem ageret indifferenter: nemo